

**A** est consolationis iuxta cursum huius Mundi, ut agnoscant felicitatem suam, quam habent in Domino, seseque ex ea solentur in hoc seculo. Ita monet & Apostolus 1<sup>o</sup> Philip. 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.

Quisquis isto gaudio preeditus est, is ut in Domino tantum exultat, ita nulla re, quae in hoc Munde suspicitur, delectatur. Qui vero vel bonis vel honoribus vel alijs terrenis delicijs afficitur, hoc ipso declarat se non gaudere in Domino, sed magis in donis illius: idque non diutius, quam donec copia adfuerit illis fructu.

Emphasis huius gaudij notanda est, in eo quod non simpliciter ad gaudium, sed etiam ad exultationem spiritus, quae est apertius gaudij indicium, immo & ad iubilationem: id est, apertissimam exultantis animi notam, excitat iustos ac rectos corde. Tanta scilicet est piorum felicitas, talem habere Dominum.

## PSALMVS XXXIII.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**H**abet iste Psalmus adhortationem ad laudandum Deum omnium planissimum, commemorationem cum fidei ac bonitatis Dei, tum potentiae & prouidentiae illius illustratam. Et quoniam versus tertio iubet cantare Domino canticum nouum, apparet factum eum esse ad celebrandum insigne aliquod, & peculiare Dei beneficium.



XVLTATE iusti in Domino, rectos decet laus.

VERS. I.

2. Celebrate Dominum in cithara, in nabo decachordo psallite illi.

3. Cantate ei canticum nouum, bene psallite cum iubilatione.

Satis conueniunt omnia.

His tribus versibus admonet, & excitat iustos & rectos corde, primum ad exultationem spiritus in Domino, deinde & ad laudandum Deum. Vbi videre est, hunc Psalmum id habere in principio, quod praecedens habet in fine.

B Primum, quod nominatum dicit rectos decere laudem: id est, rectis hoc competere, ut laudent Deum. Vbi admoneatur, non esse cuiusvis laudare Deum, sed tantum rectorum Hac de re vide Psal. 22. ibi: Timentes autem Dominum glorificate eum. Huc etiam pertinet, quod adhortationi laudis praemittit exultationem spiritus in Domino. Nequit enim verè laudare Dominum, nisi cuius spiritus exultat in Domino, & ad laudandum Dominum sensu bonitatis illius excitatus est. Sic & beata virgo Lucae 2. glorificationem Dei & exultationem spiritus coniungit.

Alterum est, quod meminit instrumentorum musicorum. Quis fuerit horum usus apud veteres, & quis sit abusus apud Pontificios, vide hoc loco apud Felinum.

Tertiun est, quod iubet cantare Domino canticum nouum. Admonemur, ut singula Dei beneficia recentia laude & hymno celebremus & extollamus, posteritatiq; consecremus. Fuit & hic mos apud veteres pios. Hodie cantis facta turpia amatorum ac bellatorum celebrantur.

4. Quoniam rectum est verbum Domini & omne opus eius in fide,

5. Diligit iustitiam & iudicium, bonitate Domini plena est terra.

Diligit iustitiam & iudicium.] Ebr. טשנורח קדש אַחֲכְזָרָה Græc. & vulg Lat. Diligit misericordiam & iudicium: Sic legit & Arabs, & Augustinus. Reliqui vertunt: Diligit iustitiam & iudicium.

Secundo loco incipit causa reddere, quare debeant iusti & recti exultare in Domino, illiq; laudes canere. Et prima ratio sumpta est à veritate, fide, iustitia & bonitate Dei. Veritatem Dei commendat, dicens: Quoniam rectum est verbum Domini: hoc est, Quicquid pollicetur Dominus, quicquid loquitur, integrum est, sincerum est, fraude caret, Fidem eius commendat in eo, quod dicit: Et omne opus eius in fide: id est, Quicquid facit, fideliter facit. Iustitiam praedicat, dicens: Diligit iustitiam & iudicium: Non satis habet dicere, Iustus est, iudicium & iustitiam facit: sed, Diligit iustitiam, inquit, & iudicium, ut non solum facta Dei, sed & ingeniu illius commendet. Quidam hoc interpretantur ita, ut intelligendum sit, Deum iudicium & iustitiam in alijs diligere: id est, exquirere ab alijs. Hoc quoque verum est. Sed David hic ea praedicat, quæ ingenium Dei commendant, & ad laudandum Deum incitant. Non autem propriè facit ad laudem cuiusquam, si dicatur ab alijs exigere, ut iusti sint: sed magis, si dicatur ipse iustitiam & iudicium sectari & praestare. Bonitatem Dei extollit, cum dicit: Bonitate Domini plena est terra. quibus verbis non simpliciter dicit, Deum bonum esse: sed magis abundantiam bonitatis illius praedicat, quæ tanta sit, ut terra sit illius declaratio & ueritate repleta: hoc est, nusquam non in oculis mortalium bonitas Dei abundantissima incurrit. Itaque David his duabus versibus non aliter Deum commendat, quam si quis instituat hominis alicuius laudes deprendere, atque hunc praedicet, quam rectus ac verus in verbis, quam fidus in opere, quantus amor iustitiae, quam bonitate illius omnia circumquaque referta sint. Hoc quid esset, aliud quam omnibus mortalibus talenm hominem cupere quam commendatissimum, amabilem & laudabilem redideret?

Quid ex ista commendatione Dei simul & sequenti notandum sit, Psaltes ipse tradet versibus 20. & 21. Nisi quod præterea expendendum est aureum illud dictum, quod bonitate Domini plenam esse terram: id est omnia circumquaque diuinam bonitatem praedicare, & in oculis mortalium ingerere dicit. 1. Quia in re deploranda est nostra cæcitas, qua & non obseruata bonitate hac Dei, ad auari-

LECTIO.

Vide Ps. 98.

EXPLA-

NATIO.

OBRER.

I.

Potest etiam hic obseruari, quod ad cantandum incitat eos, quos iubet laudare Dñm. Nam ita solet spiritus exultans in Deo in cantū erumpere. Sic Iacobi vlt. Bono animo quisquā est, cantet.

LECTIO.

Vers. 5.

EXPLA-

NATIO.

Vers. 4.

Vers. 5.

OSSER.

C tiam